

*caribus incitanti ut deposcentis exercitus fugeret conatum, &c. sed modestiam ejus vicit Reip. felicitas. Vnde Panegyristes exclamat: O fortunata, & nunc omnibus beatorum terris Britannia, quæ Constantinum Cæsarem prima vidit. Iam oriens Cæsar belli reliquias quod pater in Caledonios aliosque Pictos susceperat primum persequutus, Britannos illos remotiores, & insularum quæ illuc sunt incolæ, occasus, ut inquit ille, Solis testes aggressus, alios vi & armis subegit, alios (Romam enim & altiora ille spirabat,) in societatem stipendiis oblati pellexit, nonnullos ex hostibus amicos, ex veteribus inimicis familiares reddidit. Inde Francis in Batavia devictis tanta gloria, ut nummos cuderit aureos (quorum & unum vidi) cum effigie muliebri sub trophæo sedente altera manu balistæ innixa: subscripta FRANCIA; & GAVDIVM ROMANORVM circumscripto: aliisque Barbaris in Germania profligatis, Germanicis & Gallicis nationibus sibi conciliatis, coactis è Britannia, Gallia, & Germania militibus qui omnes erant ad 90000 peditum & 80000 equitum in Italiam movit, Maxcentiumque qui Romæ sibi imperium vindicarat, vicit, Italiaque potitus securæ libertatis munera devicto tyranno orbi reddidit. Utque in antiqua habetur inscriptione, INSTINCTV DIVINITATIS, MENTIS MAGNITVDINE, CVM EXERCITV SVO TAM DE TYRANNO, QVAM DE OMNI EIVS FACTIO NE, VNO TEMPORE IVSTIS REMPUBLICAM VLTVS EST ARMIS.*

Gelasius  
Crisostomus  
L. 1. Act.  
Conc. Ni-  
cen. c. 3.

Rediisse tamen in Britanniam innuit Eusebius. *Constantinus, inquit, tandem trajecit ad Britannos Oceani littoribus undique conclusos, quos cum vicisset alias mundi partes animo complecti cepit, ut his qui ope indigerent subsidio mature veniret. Et alibi: Cum mansuetis & modestis pietatis præceptis exercitum muniuisset in Britanniam, ut eos qui fluctibus Oceani Solis occasum suis quasi oris terminantis undique circumdati habitant, invasit. Et de Britannia intelligendi sunt hi versus Optatiani Porphyrii ad Constantinum:*

*Omnis ab Arctoïis plaga finibus horrida Cauro  
Pacis amat cana & comperta perennia jura,  
Et tibi fida tuis semper bene militat armis,  
Resque gerit virtute tuas, populosque feroces  
Propellit, ceditque lubens tibi debita rata,  
Et tua victores sors accipit hinc tibi fortes,  
Teque duce invicta attollunt signata cohortes.*

Pacatianus  
Vicarius  
Britanniæ  
anno 13  
Constanti-  
ni 11.

Sub hoc tempore, ut ex Codice Theodosiano constat, Pacatianus fuit Britannia Vicarius, nam Proprætorem & Legatum Britannia jam desit habere, & ejus loco Vicarius substitutus.

A plurimis laudibus felicissimus hic fuit imperator, & sane meritissime; etenim non solum Romanum imperium in libertatem asseruit, verum etiam spissa superstitionum nube dissipata, veram Christi lucem intulit, cum templa Deo vero aperuerit, & Diis falsis occluserit. Iam enim ubi turbo persecutionis quievit, progressi in publicum fideles Christi, qui se tempore discriminis sylvis ac desertis abditisque speluncis occultaverant, renovant ecclesias ad solum usque destructas, basilicas sanctorum Martyrum fundant, construunt, perficiunt, ac veluti victricia signa passim propalant, dies festos celebrant, sacra mundo corde atque ore consciunt. Vnde hisce titulis celebratur: IMPERATOR FORTISSIMVS AC BEATISSI-

Gildan.

MVS. PISSIMVS. FOELIX. VRBIS LIBERATOR. QUIETIS FVNDATOR. REIPUBLICÆ INSTAVRATOR. PVBLICÆ LIBERTATIS AVCTOR. RESTITVTOR VRBIS ROMÆ ATQVE ORBIS. MAGNVS. MAXIMVS. INVICTVS. INVICTISSIMVS. PERPETVVS. SEMPER AVGVSTVS. RERVVM HVMANARVM OPTIMVS PRINCEPS. VIRTVTE FORTISSIMVS, ET PIETATE CLEMENTISSIMVS. Et in legibus, QVI VENERANDA CHRISTIANORVM FIDE ROMANVM MVNIVIT IMPERIVM. DIVVS. DIVÆ MEMORIÆ. DIVINÆ MEMORIÆ, &c. primusque Imperatorum qui in numismatibus & publicis operibus inscriptis DOMINVS NOSTER, quantum ego hactenus observaverim. Etsi me non lateat Dioclesianum primum omnium post Caligulam Dominum se dici palam passum.

Cæterum in hoc tanto Imperatore desideratur ejus prudentia, quod barbaris viam in Britanniam, Germaniam, & Galliam aperuit. Cum enim gentes boreales ita contudisset, ut jam nihil ab illis timeret, atque ad Persarum opes, qui Romano imperio in oriente imminerebant, frangendas novam urbem Constantinopolim condidisset: legiones quæ limites tuebantur partim in orientem transtulit, & eorum loco castella, & munitiones condidit, partim in urbes remotiores à limitibus deduxit, adeo ut statim post ejus obitum, barbari opida & castella expugnantes in provincias irruerint: Atque hoc nomine pessime apud Zozimum audit, ut Imperii florentissimi maximus, & primus subversor.

Cum vero Constantinus formulam Romani imperii immutarit, non alienum erit hic summam adnotare quomodo sub eo & succedentibus annis Britannia fuerit administrata. Quatuor constituit præfectos Prætorio, scilicet Orientis, Illyrici, Italiae, & Galliarum, & duos militum magistratos, alterum peditum, alterum equitum Occidentis, quos *Præsentes* dixerunt.

Politia Ro-  
mana in  
Britanniæ  
sub posteri-  
oribus im-  
peratoribus.

Quoad civilem administrationem præfuit Britannia Præfectus Prætorio Galliarum, & sub eo Vicarius Britannia qui ejus vices agebat, *Spectabilis* titulo honoratus. Cui parebant pro numero Provinciarum duo consulares, & tres præfides, qui causas civiles & criminales audiebant.

Vicarius  
Britanniæ.

Quoad rem militarem imperavit Magister peditum Occidentis, sub cujus dispositione erant Comes Britanniarum, Comes Littoris Saxonici per Britanniam, Dux Britanniarum: Singuli *Spestabiles*.

Comes Britanniarum interioribus insulae partibus præfuisse videtur, qui secum habuit septem Numeros peditum, & novem vexillationes Equitum.

Comes Bri-  
tanniarum.

Comes littoris Saxonici qui littora contra Saxones tuebatur, & Comes tractus maritimi ab Ammiano dicitur, ad tuendam oram maritimam habuit septem Numeros peditum, duas vexillationes Equitum, Legionem secundam, & cohortem unam.

Comes lit-  
toris Saxo-  
nici.

Dux Britanniarum qui limites contra barbaros tuebatur, imperavit xxxviii præfidiis in quibus stationes egerunt 14000 Pedites, & 900 Equites. Ita ut eo seculo, si Pancirolus recte ra-

Dux Bri-  
tanniarum.

tiones